

& ut decet apud ægrotum; & sic curabimus corpuscula cibo, ut nihilo secius animus idoneus sit ad disputandum. *Au.* Fiat * bonis avibus. *Ba.* Immo malis piscibus fiet: nisi forte nunc oblitus es esse diem Veneris. *Au.* Id quidem est * præter symbolum nostrum.

Bonis avibus] *Id est, feliciter: alter arripuit locum ex ambiguo. Nam in symbolo Apostolorum nulla mentio est de piscibus: & dicuntur Symbola conviviorum.*

* Γερωντολογία, sive ὄχημα.

* EUSEBIUS, PAMPIRIUS, POLYGAMUS, GLYCION.

Eu. Quas * novas aves heic ego video? Nisi me fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, video tres veteres congerrones meos confidentes, Pampirum, Polygamum, & Glycionem. Certe ipsi sunt. *Pa.* Quid tibi vis cum tuis * vitreis oculis, fascinator? Congredere propius, Eusebi. *Po.* Salve, multum exoptate Eusebi. *Gl.* Bene sit tibi, vir optime. *Eu.* Salvete vos omnes una salute, pariter mihi carissima capita. Quis Deus, aut casus Deo felicior, nos conjunxit? Nam nemo nostrum vidit alium annis, opinor, jam

S 4 qua-

Γερωντολογία] *i. e. senile colloquium. ὄχημα, vehiculum. Eusebius] Eusebius pius. Pampirus, omnia expertus. Polygamus, qui saepe duxit uxorem. Glycion, dulcis, sive dulcior.*

Novas aves] *Alludit ad peregrinas aves. Karas aves.*

Vitreis oculis] *Significat vitrea perspicilla. & fascinatio est in oculis.*